

C. Iulius Caesar, *De bello Gallico*, I, 1

Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt **Belgae**, aliam **Aquitani**, tertiam qui ipsorum lingua **Celtae**, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis **Garumna** flumen, a Belgis **Matrona** et **Sequana** dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate **Provinciae** longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant atque ea quae ad effeminandos animos pertinent important, proximique sunt **Germanis**, qui trans **Rhenum** incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa **Helvetii** quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere quotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine **Rhodano**, continetur Garumna flumine, **Oceano**, finibus Belgarum, attingit etiam ab **Sequanis** et Helvetiis flumen Rhenum, vergit ad septentriones. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem. Aquitania a Garumna flumine ad **Pyrenaeos** montes et eam partem Oceani quae est ad **Hispaniam** pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

Colloca sulla carta muta gli etnonimi e i toponimi evidenziati nel brano:

